

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Nilus Mysticus Profluens Ex Paradiso Voluptatis, Sive  
Doctrinae Ad Mentem Scoti Theologicae, Ac Per Duodecim  
Alveos Regios In Flumen Magnum Serenissimae  
Marchionum Badensium Genealogiae Sese ...**

**Stümmel, Friedrich**

**Fulda, 1673**

Serenissime & eminentissime Cardinalis, serenissime princeps, domine  
clementissime

[urn:nbn:de:bsz:31-11315](#)



# SERENISSIME & EMINENTISSIME CARDINALIS, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.



**S**erenissimam Eminentiam Tuam ex Septentrione in Meridiem, è Buchonia ad remotissimas ultimæ Hesperiæ oras, pro acerrima Cōcertationis Scholasticæ Lucta in celeberrimis Seraphicæ Religionis nostræ Comitiis, cum acutissimis instituenda Hispaniarum, aliisq; aliarum partiū Mundi Theologis, ad celeberrimam Urbem Toletanam dictorum Comitiorum causâ cōscriptis, Patronum & Judicem à Provincia Fratrum

Mino-

¶

*Minorum Recollectorum S. Elisabethæ Ungaro-  
rum Reginæ sacra electum esse, nullus credo in admi-  
rationem trahet, nisi qui ignorat S. Elisabetham In-  
clytam Patronam nostram, Eminentissimæ Sere-  
nitati tuæ quoq; consanguineam esse, & patrocini-  
um, quod illa Provinciæ nostræ præstat in cælis, Celsi-  
tudinem Tuam eidem prestare in terris. Sanè si non  
egeat alienâ luce, qui à proprio lumine fulgorem de-  
promit, isthæc Theologica Concertatio nostra non  
aliunde, sed Serenissimi sanguinis tui Majestate  
irradiata, splendorem adepta est totâ Europâ lucidissi-  
mum; utpote quæ & symbolicè concepta, & sym-  
bolicè nata ex tali altissimæ Domus tuæ structura,  
cujus architectura sunt Miracula, cuius conca-  
merationes Prodigia, cujus ambulacra Provin-  
ciæ, cujus fundamenta Heroes, cujus cœmenta  
Celsitudines, cujus Agnati Reges, cujus cognati  
Imperatores, cujus Nati Soberani Marchi-  
ones, quorum supremus honor in eo potissi-  
mum verti cognoscitur, quod ex Augustissimo Au-  
striacorum sanguine, stirpe admodum feliciter, nun-  
quam interruptâ serie, nunquam deficiente nobilio-  
ris sexus prole, ad nostrum usque ævum propagata,  
paternæ prosapiæ genus derivant, ex quo velut ex  
Equo Trojano immortalium & propè cœlestium  
Marchionum prodierunt Cohortes; unde singulari  
prærogativâ Marchiones Badenses inter Summa  
hodie, & præcipuos Germaniæ Proceres antiquitas  
veneratione præfulgent; nimurum quia non sol*

Principum privilegiis & auctoritate, annis jam omnino sexcentis in Imperio Romano Germanico coruscantes, inter Primores & Pares, ut vocant, curiae, jam tum *Henrici III.* & *Conradi I.* Imperatoris temporibus, quoties Comitia vel celebriores Ordinum Conventus haberi contigit, in subselliis Ducum, cum sublimi Marchionum Badensium praedicato considerint; sed diutissime hereditarium Marchionum characterem, ante traxerunt ex antiquissimis Marchionibus Zeringiis, Zeringij ex Habsburgiis, qui Principum tum Austriacorum, tum Badensium progenitores fuerunt, non aliunde quam de prima & antiquissima Francorum nobilitate ex Alsatiæ Ducibus *Pharamundo* antiquioribus: ex quibus in confessio est, serenissimam Domum tuam juxta id: *Fortes creantur fortibus*, omni tempore laudatissimum Heroum, qui arte & Marte potentes, seu qua sagio quave toga clari fuerunt, Altricem extitisse ac perpetuam intemeratae gloriae Officinam, ut nullum effluxerit saeculum, quo præclara Badensium Heroum familia vel ob Bellicæ gloriae facinora, vel ob togatae felicitatis monumenta apud omnes gentes non fuerint in admiratione. Has *Majorum Tuorum* coronatas glorias hereditarius sanguinis in te fôrdescere non pertulit, quin potius genio & ingenio tuo, quibus pari felicitate & excellentia polles, annatas esse jamdudum *Tua* in DEUM religio & fides, qua nulli es secundus, in Imperatorem & Imperium evidenter demonstrant; qua ratione superioribus Germanis

niæ periculis adversus Turcicam impietatem instar  
 Eliæ martialis gloriæ capulo renibus cinctus, *Leopol-*  
*di I.* Labara gubernans, igneos religionis & Zeli tui  
 radios, celerrimi fulminis instar, in hostem evibrasti,  
 pro DEO & Ecclesia, in cruentissimo cum Turcis  
 prælio, aut acinaci sanguinem datus, aut *Leopoldo*  
*Imperatori* victoriam, quâ & gloriosè potitus fuisti  
 cum Serenissimis Marchionibus Germano *Fratre*  
*tuo*, & Cognato *Leopoldo*, qui unanimi Principum  
 consensu cum totius Imperij votis, velut bellicosissi-  
 morum Heroum Optimates Turcicę superbiæ repre-  
 mendæ objecti fuerunt. Ex castris deinde ad clau-  
 strum, cum *Constantino Magno* deposito Martis  
 baltheo, pro Labaro crucem, pro fago togam es am-  
 plexus, ut cum *Hermanno I.* Marchione Badensi  
 sub Benedicti vexillo Mundo delitesceres; Verùm  
 secundūm sanctissimum summi in terris Vicarij Cle-  
 mentis X. zelum, utpote, qui ex supra judicij sui  
 specula dotum *Tuarum* merita in æquitatis statera  
 librarat, haud diu intra Buchoniæ angustias abscon-  
 dendus, sed adjuvandæ *Petri Naviculæ*, supra can-  
 delabru Ecclesiæ, quo illam prudentię *Tuæ* & virtu-  
 tum splendore illustrares, Purpuratorum *Quiritum*  
 Senatui, cum plausu Urbis & Orbis adlectus fuisti; &  
 hinc hodie in Eminentissimorum cœtu Romana Si-  
 dera, *Tenovum Astrum* mirantur, non ideo Eminentissimum,  
 quia purpuratum; sed quia Eminentia  
 Tua, cui velut *Alexandro Magno* non unus sufficit  
 orbis, visibilis Solis visibiliter super nos per duode-

cim

500

cim signa gloriose oberrantis, quasi æmulus existens, in splendidissimo prosapiæ *Tuæ* Zodiaco, duodecim Regna *Tibi* in Regibus propinqua gloriofissimè collustras, & eminentissimè illustras, ut *Celsissima Serenitas Tua* non Eminentiam à Purpura, sed purpura à Te *Eminentiam* sit adepta, nimirum singula, quæ Te magnum faciunt, *Serenitas Tua* efficit majora, & Midæ instar, quæ tangis, in aurum vertis: Sic Pastoreale *Ducalis Ecclesiæ Fuldensis* Pedum, Te Magnum & Primum Imperii fecit *Abbatem*, at Tu illud attollens in *Teipso* ad Ecclesiæ erigis columnam: illud dedit, quod essem *Divæ Augustæ* magnus Archi-cancellarius; Tu Archi-cancellarium *Augustæ* facis esse consanguineum, ut æmulo affectu sublimissimum Augustissimi Diadematis Lemniscum *Imperatricis* vertici obduceres, quo *Invictissimus Imperator* cognatum sibi *Caput tuum* solemini ritu rubeo *Byreto* purpuravit: illud denique fecit, ut essem per Germaniam & Galliam *Primas*; Tu illi bono illius publico, & priscæ *Fuldenſi* gloriæ reparandæ primas reddis. Evidem *Serenissime* & *Eminentissime Princeps Cardinalis*, & si hec omnia, que Te Magnum faciunt, fiant per *Tuam Eminentiam* maxima, ideoq; *Serenissimi Nominis Tui* Monimentum ære, vel auro perennius gloriæ perpetuitati in posterorum manus tradant: verum in uno, in quo omnia summa transcendis, & in quo *Magnitudinis Tuæ* Imaginem avitis coloribus expressam, velut in nitidissimo speculo pulcherrimè reflexā cernimus, *Te*

maxi-

¶

Maximum & Maximis Majorem profiteor, estq; admiranda *Tua* in omnes *Clementia*, quæ, quia rarò apud sublimes flat aura lenis, est consummata Principum perfectio, hac & infimos quosq; alloquio dignaris *Tuo*, & minimorum supplicum vota, priusquam audias, exaudis, & clementissimè admittis, & blandissime respicis universos, quorum animis, præcipuè Clementum Tuorum Fratrum Minorum *Clementiae* *Tuæ* characterem adeo insculpsisti, ut iis sit unicè in votis dum orant, dum ad Aras sacrificant, non tantùm Antistitem, sed Patrem suum BERNARDUM GUSTAVUM commendare Altissimo, ut Eum toti Ecclesiæ, Imperio Romano, Patriæ, Ordinique nostro Seraphico, & omnibus bonis, in pulchritudine pacis, & plenitudine annorum salvum & in columem salvet, servetque. Ita reverentissimè *Purpuræ Tuæ Limbum* exosculans, optat, & fovet

*Serenissimæ Eminentiae Tuæ*

Æternum Devotus

F. FRIDERICVS STÜMELIVS,  
SERENISSIMI ac EMINENTISSIMI CARDINALIS  
de BADEN THEOLOGUS.